



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. II. Rationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

alicubi ab aliquo Episcopo approbatus, potest ubique absolvere. Similiter Cruciatam unice exigit ut eligatur approbatus ab Episcopo; ergo, inquebant, approbatus, vi Cruciatam electus, potest omnes ab omnibus casibus, seculis paucissimis, quos excipit, absolvere; tanto magis, inquit, quod per novam Cruciatam eludantur omnia Pontificia anteriora Decreta, utpotè sibi suoque indulto opposita. Præter hanc prorsus frivolam rationem, ut Regulares se ab Episcoporum jurisdictione subtraherent, privilegia olim illis concessa, & a Tridentino revocata; & quidem, ut ait Urb. VIII. ob eorum abusum in sui præsidium convocabant, sive ea inessent Juri Canonico, sive vivæ voceis Oraculo, seu quæ in Bullis expressa non sunt, & facile, quia soli vocantur, varietati, & æquivocationi subfunt: quæ omnia dictus Urban. VIII. revocavit. Vid. P. Card. Carden. *disf. 2. a n. 310. ad 384.* qui præclare rem omnem solvit.

Urban.
VIII.

P. Card.

N. 69.

Facile in auras diffaretur tanta improbabiliū opinionum seges, quin numquam solem vidissent, si earum Patroni unicum Tridentini scopum, qui erat Episcoporum jurisdictioni, & auctoritati prospicere, considerassent. Quomodo enim Fidelium reformatio à Tridentino intenta obtineri possit, nisi per Episcopos? Quomodo Episcopi, nisi Pastores, Judices, Medicos, Magistros (hæc enim sunt Confessariorum munia) cognoscant, eorumque integritatis in docendo, & vivendo consilij sint? Igitur eligendi, & approbandi ab Episcopo ipso pro sua Diocesi Confessores, non tumultuariè recipiendi, nec sibi commisso gregi cæcis oculis præficiendi: omnis ergo opinio, quæ hunc Tridentini scopum non promovet, eliminanda; omnis, quæ promovet, amplectenda. Idem esto judicium de Regularium observantiâ.

§. II.

Rationes.

SUMMARIUM.

Tridentinum illimitatè loquitur, n. 70.

Interpretantes restringunt, ibid.

Inanctio, ibid.

Cur non sit satis, ut Confessor sit alibi approbatus? n. 71.

Clement X. ait se declarare quod alij anteriores Pontifices declaraverunt, n. 72.

Refero ex Clemente X. plures ab eo rejectas, ib.

Innocentius XII. quam vehementer invehatur in opinionem, quod quilibet alibi approbatus, non tamen hic, possit vi Cruciatæ validè ab-

solvere, num. 73.

Declarat tales confessiones esse invalidas. Excommunicat docentes. Vetat cuique interpretari aliter suum Decretum, ibid.

Cruciatam nullum novum jus à Tridentino derivatum induxit, n. 74.

Urbanus VIII. negat Cruciatam habuisse locum in Regularibus, quæ ait pendere quoad Sacramentum Penitentia à suis Prelatis, ibid.

Innocent. XII. negat tam de secularibus, quam de Regularibus, quod vi Cruciatæ possint ab alibi approbato absolvi, ibid.

Omnes hæc sunt definitiones Pontificia, ibid.

Alex. VII. damnavit, quod Mendicantes possint absolvere à reservatis ipsi Episcopi. Quid valida sit confessio cum Regulari inique reprobo. Quod Curati possint confiteri simpliciter Sacerdoti. Quod Regulares pro foro interno possint privilegijs derogatis, n. 75.

Decreta Pauli V. Clementis VIII. Urbani VIII. Clementis X. Innocent. XII. sunt definitiva, & legislativa, n. 76.

Offendo inductione Decretorum Urbani VIII. ibid.

Clementis X. n. 77.

Innocentij XII. n. 78.

Nota in ea decreta, ibid.

DD. tuentes eas definitiones esse de fide, n. 79.

Prima sumitur ex Trid. *sess. 23. de Ref. N. cap. 15.* derogante omnibus Regularium privilegijs, & omni immemoriali consuetudini (intellige, oppositis Episcoporum auctoritati) & definiente absolute absoluteque ulla limitatione, neminem, nisi sit ab Episcopis approbatus, absolvi posse, quin nec talem Confessorem habendum pro idoneo; ergo est contra expressam Tridentini mentem, & illimitatum ejus Decretum, quod omnibus etiam Regularibus negat, quod, nisi sint ab Episcopo approbati, absolvi nequeant, finistis interpretationibus eludere. Quid enim oppositum magis Tridentino universaliter neganti, quin deroganti omnem consuetudinem, & privilegium, quam illud limitare per privilegia, quibus derogavit? Quid magis à vero alienum, quam Decretum negans omni non approbato ab Episcopo facultatem absolviendi, exponere, quod vi Cruciatæ cuique approbato, etiam alibi, eam det? Quid Tridentini intento magis adversum, quam asserere, satis cuiusque Episcopi approbationem, ut quis ubique validè absolvat? quasi verò unius Episcopi approbatio foret Pontificis approbatio, respectu cuius totus orbis Christianus una Diocesis est: & omnes Episcopatus unus Episcopatus forent. Nemo igitur, nisi som-

niet, dicere potest, quod ad tuendum Decreti Tridentini Decretum, satis sit Episcopi approbatio, intelligendo cujusque Episcopi, sed necessariam Episcopi Diocesani, cujus in loco Confessor audit Confessiones, approbationem. Nec enim asseri potest, cuique Episcopo tantam inesse facultatem, ut quilibet ab eo approbatus, sit pro omni Diocesi, cui ille non praeest, approbatus: nec quod Papa cuique Cruciatum habenti talem concesserit facultatem, ut quemlibet quocumque in loco approbatum in suum Confessorem, in loco, quo non est approbatus, eligere possit.

N. Confirmitur: quia Tridentini finis fuit
71. Episcoporum auctoritati prospicere, ut facilius munus suum obirent, invigilando Diocesanorum suorum reformationi, per Medicos spirituales vitae, & doctrinae integritate à se approbatos, non ab alio; non enim aequalia in omni Diocesi vitia, aequalis ubique cultura; & qui uni infirmitati medenda satis, non satis laepe medenda alteri: ergo approbatio, quae in una Diocesi satis, non satis pro altera: ergo Confessor à Diocesano, cujus in loco absolvit, est necessario approbandus. Hoc verò intentum omnino frustratur, si uno in loco approbatus, sit ubique approbatus; & admissis privi legijs Regularium, quibus Tridentinum derogavit, & asserio Cruciatu indulto, quod liceat vi Cruciatu quemlibet, etsi non à Diocesano, aut Praelato Regulari approbatum eligere, ut seculares, aut Regulares à reservatis absolvat: cui Cruciatu indulto omnino ficto restitit totis viribus Clem. VIII. & Urban. In. XII. VIII. & Innoc. XII.

N. Secunda sumitur ex Clemente X. qui in suo exordio aperte dicit, se collectis in unum Pontificum antecessorum constitutionibus, & declarationibus, his novis suis Apostolicis Litteris eas roborare. Si ergo vult iterum roborare suorum Praedecessorum constitutiones, evidens est, quod, quae Clemens X. in sua Bulla decernit, & ex certa scientia, & perpetuo valiturâ suâ constitutione declarat, fuisse prius à suis Praedecessoribus declarata. Sed quod Clemens X. in hac sua Bulla declarat, est, non posse Regulares alibi approbatos, sine nova Episcopi, cujus in Diocesi vivunt, approbatione seculares audire: non posse Regulares generaliter ab Episcopo pro audiendis secularibus approbatos, Moniales sine speciali approbatione absolvere: non posse Regulares pro uno Monasterio approbatos, audire alterius Monasterij Moniales, nec pro una vice approbatum, aut pro mense, posse se-

pius, aut elapso mense eas audire: non posse qui habet absolvendi à casibus Sedi Apostolicae reservatis facultatem, absolvere à reservatis per Episcopum: non revivisse sublata à Tridentino Regularium privilegia per novam confirmationem: quin idem Clem. X. aperte ea omnia annullat clausulis irrefragabilibus: & quod caput est, declarat irritum quidquid contra suum Decretum, etiam ignoranter attentetur: ergo haec omnia ex mente Clementis X. fuisse prius à suis Praedecessoribus stabilita: ergo interpretatio vel ex vi privilegiorum, vel ex vi Cruciatu est planè contra Tridentinum, & Pontificum Bullas, ante Clementem X. de hac re editas: ergo ex Tridentino alijsque prioribus Pontificum Decretis, nemo, si vi privilegiorum, si vi Cruciatu absolvere potest, nisi sit approbatus ab Episcopo pro Sæcularibus, aut à Praelato Regulari, pro Religiosis, loci in quo absolvit.

Tertia sumitur ex Bulla Innocentij XII. N. qui totus dicit, & jure merito fervet in opinionem, & opinantes, quod Confessor uno in loco approbatus possit vi Cruciatu absolvere omnes ad se accedentes, etsi non sit approbatus ab Episcopo loci, in quo confessiones audit. Porro tam vehementer in hanc opinionem invehitur, ut eam dicat damnatam ac reprobam à Paulo V. Urban. VIII. Clem. X. & pluribus Tridentini Congregationibus, eamque iterum à se examinatam, atque adeo, inherendo dictis Pontificum Decretis, se proprio motu, seu consilio, & ex certa scientia, & matura deliberatione, de Apostolica Sedis plenitudine, decernere, quod Confessores, si sint Sæculares, si Regulares, vi Cruciatu electi, nequeant absolvere eligentes, nisi dicti Confessarii sint ab Episcopo aut Ordinario loci, in quo confessiones audiunt, approbati: etsi eligentes forent poenitentes ejusdem Confessoris, alibi quoad illos approbati. Quin irritas, & invalidas fore confessiones in posterum, contra hoc Decretum, & alias Pontificum constitutiones faciendas; & omnem oppositam quomodocumque opinionem, ex plenitudine potestatis declarat, & damnat, ut fallam, temerariam, scandalosam, & in praxi perniciosam; & Confessores oppositis opinionibus inhaerentes declarat ipso jure à confessionibus suspensos; & derogat, & abolet omnem contrariam consuetudinem, & vetat omnibus Christi Fidelibus, etiam expressè nominandis, sub excommunicatione ipso facto, absque aliâ declaratione incurrendam, soli Papæ, excepto mortis articulo, reservatâ, ne quis eam opinionem doceat &c. Immo ne ullus, etfi

etli S. R. E. Cardinalis, aut à latere Legatus, aut Commissarius Generalis ipsius Cruciat equaliter interpretari audeat suas has litteras, quæ semper firmæ, validæ, & efficaces habendæ sunt, & semper inviolabiliter servandæ; & quidquid scienter aut ignoranter contra eas tentetur, irritum, & inane futurum. Non obstantibus quibuscumque privilegijs, etsi juramento, Apostolicâ confirmatione, aut aliter roboratis.

N.

74.
Paul. V.Clem.
VIII.
Urban.
VIII.

Quarta sumitur ex Paulo V. aperte dicente, quod Cruciatum nil novi juris à Tridentino stabilitum induxerit, & irritum inane quidquid in oppositum attentatum fuit, & à Clem. VIII. qui in Bullâ anni 1599. declaravit, fatente Urbano VIII. quod Cruciatum quantum ad eligendum Confessorem, & absolvendum à reservatis, nullum habeat in Regularibus locum, quos in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ suorum Prælatorum dispositioni subiectos asserit: & ex Urb. VIII. declarante de plenitudine potestatis, motu proprio, & ex certâ scientiâ, & innovante Clementis VIII. Declarationem, si opus sit, quin ampliante concessionem Cruciatæ, & quantum ad articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à reservatis, numquam in Confessarijs, cuiusque Ordinis sint, locum habuisse, nec habere, neque illis ullo modo suffragari potuisse, nec posse: & tollit omnem etiam à Cruciatæ Commissarijs, imò Nuntijs à latere interpretandi facultatem, quin ita semper judicandum: & irritum, & inane quidquid secus five scienter, five ignoranter tentetur: & ex Innocent. XII. expressè dicente Cruciatum nil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere, quoad approbationem Confessorum contra formam Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum; adeo ut Confessarij tam sæculares, quam Regulares, vi Cruciatæ electi, nullatenus huiusmodi confessiones audire valeant &c. ergo ex tot Pontificijs definitionibus constat vi Cruciatæ neminem absolvere posse aut absolvi posse, nisi Confessor absolvens sit approbatus vel ab Episcopo loci in ordine ad sæculares, vel à Prælato Regulari, & quidem quoad reservatos, in ordine ad ejusdem status Regulares: lege quas omitto Sacri Concilij Tridentini authenticas declarationes apud P. Carden. *disp. 2. de Damn. qu. 2. & 3. Felicem n. 3849.* P. Bardi, P. Mendo, P. Nogueira in P. Bardi. Cruciatæ.

P. Card.
P. Nog.
P. Mendo.
P. Bardi.
N.75.
Alexan.
VII.

Quinta sumitur ex aliquibus ab Alexand. VII. damnatis, inter quas sunt istæ: 1. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtemperant ad id Episcoporum facultate: 13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo presentati, sed ab eo inesse reprobato: 16. Qui beneficium Curatum habent, possunt in Confessariis, simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario eligere: 36. Regulares possunt in foro confessionis sui privilegij, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum. Hæc omnes ab Alexand. VII. imò iterum à Clemente cum alijs pluribus damnatæ fuere. Cum ergo ab Alexand. VII. ut Capite Ecclesiæ, ut docuitur, 1. tr. 1. de Decret. Pontificijs d. 2. n. 3. ad 75. fuerint damnatæ saltem ut scandalosa, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendâ, & sibi soli reservatâ, à quocumque, qui eas nisi impugnandi grati tractet. Rursus cum illæ, nec non aliæ à Clem. X. ut Ecclesiæ Capite reprobatæ sint, declarante irritum, & inane quidquid à quovis, cuiuscumque authoritatis sit, scienter, aut ignoranter in damnatarum favorem tentetur: manifestum est quod quoad Sacramenti valorem dictæ opiniones erunt insufficientes. Immo cum juxta me *tom. 1. l. c. d. 2. s. 3.* omnes à Papa qualitercumque damnatæ, contentis ijsdem circumstantijs sint certò falsæ, erunt præciatæ damnatæ certò falsæ de valore.

Sexta ex Pontificum, dum se gerunt tamquam Ecclesiæ Magistri, infallibilitate, sed Paulus V. Clem. VIII. Urb. VIII. Clem. X. & Innoc. XII. se gerunt in suis Bullis ut Ecclesiæ Magistri, ergo in eo quod declarant, decernunt, definiunt, infallibiles sunt. Maior patet ex fuscis probatis nostro *tom. 1. l. c. d. 2. s. 3.* nec hodie res in dubium vocari potest. Minor quoque patet, tum signis certissimis, quibus colligimus quando Pontifices loquantur definitivè tamquam totius Ecclesiæ Magistri, ut docui latè *d. 2. n. 3. ad 75.* cum ex ipsis Pontificum citatorum clausulis, ex quibus evidenter colligitur eorum decreta in hac Confessionis materia esse definitiva simul & legislativa; imò quia definitiva sunt, ideo sunt legislativa: & quamvis non essent legislativa vi legis Pontificiæ, adhuc dato quod definitiva sint, essent à lege naturali veritæ, ut dixi *l. c. & hic d. 30. s. 2. ad finem.*

Ut autem meam fidem liberem, ecce 1. N. quid Urbanus VIII. in sua Bullâ, in *speculâ*, 77. editâ anno 1630. die 19 Junij, dicat de Bullâ Clement. VIII. sui antecessoris: Quare idem Clemens prædecessor suus perperam, caltata, Constitutione declaravit, facultatem Cruciatæ, & aliorum indultorum, quantum ad articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à reservatis, non habere locum cum Regularibus: ad quod

Urban. VII. quoad Sacramentum Poenitentiae, ejusque ministracionem, subjecti sint Praelatorum suorum dispositioni. Rursus idem Urb. VIII. ait, se inherere Clementis VIII. declarationi: ergo ex Urbani mente Clem. VIII. se habuit definitivè. Ecce 2. quid Urb. VIII. de se dicat, ait enim se motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione, deque Apostolice plenitudinis potestate declarare, sanctâ Cruciatam quoad effectum eligendi Confessarium, qui tam seculares, quam Regulares (de utrisque enim loquitur) possit pro foro interno absolvere à casibus reservatis, etiam in Bullâ Cœnæ contentis, locum minime habuisse, neque habere, neque illis ulla modo suffragari potuisse, neque posse, excepto dumtaxat illo quinquennio, quo litteræ nostræ (alludit ad PP. Predicatores, quibus per quinquennium concesserat tale privilegium) duraverunt. Subdit: Sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quantum ad Sacramentum Poenitentiae, ejusque ministracionem, ut Regulares Ordinariae dispositioni suorum Praelatorum, quoad sibi reservata subiecti sint, tenere præsentium perpetuò declararent. Rursus ait: Ita ab omni iudice iudicandum, (en potestas legislativa nixâ priori definitivæ) sublatâ à quovisq; etiam S. R. E. Cardinali, etiam de latere Legato, etiam Cruciate Commissario, aliter iudicandi, & interpretandi facultate. Quin si aliter iudicetur, & interpretetur, irritum ac inane esse quidquid fecerint, vel ignoranter tentent, ergo Urbanus VIII. in hac suâ constitutione se habuit definitivè.

N. 77. Clem. X. Ecce 3. quid Clemens X. dicat in suâ Bullâ, *Superna*. Primò priorum Pontificum de hac materiâ constitutiones vocat expressè definitiones; aut enim, quòd etsi dictæ controversiæ Praedecessorum suorum declarationibus definita fuerint; placuit tamen ejusmodi definitiones colligere, & roborare, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione, hâc generali, & perpetuò validâ constitutione decernere, & declarare. Secundo ante finem ait: Decernentes sic, & non alias &c. irritum quoque & inane quidquid fecerint super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attemptari contigerit; post quæ pergit, adductis omnibus juris terminis, ad revocationem quorumcumque privilegiorum, sive in corpore juris clausorum, sive titulo oneroso sive alitercumque concessorum; ergo Clemens X. in hac suâ Bullâ se habet definitivè non tantum quoad ea, quæ de novo addit, sed etiam quoad alia, quæ Antecessores sui definierunt, de novo eisdem veritates definiendo.

Clem. X. Nota autem quòd licet Clemens X. non

loquatur nisi de Regularibus; qui si non sint ab Episcopo Diocesano loci, in quo confessiones audiunt, approbati, absolvere nequeunt; attamen de secularibus quoque Confessariis intelligendus est: nam Bulla Clementis X. nititur Tridentino requirenti approbationem; & Pontificibus exponentibus quòd debeat esse Diocesanus loci, in quo quis absolvit.

Ecce 4. mens Innocentij XII. quæ incipit, *N. Cum sent.* ait 1. quòd cum à Regni Portugalliae Episcopis non sine gravi animi sui maerore audierit, quòd reviviscat opinio à Paulo V. Urbani VIII. Clem. X. damnata, & reprobata, quâ facultas in Sancta Cruciatâ concessa ita intelligenda sit, ut liceat cuicque eligere quemlibet alibi, non tamen ubi Confessor absolvit; approbatum, se motu proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione, deque Apostolice potestatis plenitudine, decernere & declarare, Bullam S. Cruciatæ nil novi juris induxisse, nullumque continere privilegium, quoad approbationem Confessorum, contra formam Tridentini, & prædictarum Constitutionum Apostolicarum, (nempe Pauli V. Clem. VIII. Urbani VIII. Clem. X.) adeo ut Confessores, tam seculares, quam Regulares, quicumque sint, in vim Cruciatæ à poenitentibus ad audiendas confessiones electi; nullatenus eas audire valeant sine approbatione Ordinarii & Episcopi Diocesani, in quo fit confessio; & confessiones contra dicta Decreta aliter deinceps faciendas, excepto mortis articulo, nullas fore, irritas, & invalidas; & quamlibet contrariam opinionem, præterito quovis contrario usu, se motâ, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, damnare, & reprobare. Denum pergit ad censurandam ut falsam, & meretriciam, scandalosam, in praxi perniciosam quamcumque contrariam opinionem: & ad excommunicandos, excommunicatione sibi soli reservatâ, omnes, qui eam opinionem doceant &c. & ad extirpandam præsumptam cujuscumque etiam expressione digni facultatem, dictam Cruciatam aliter interpretandi: ergo Innocentius se habet definitivè; quin tuam Bullam vocat Declarationem.

His positis, ecce ineluctabile argumentum. N. 79. Quidquid Pontifices ut totius Ecclesiae Magistri definiunt, certâ fide tenendum; sed allegati Pontifices definiunt, Cruciatam non habere locum nec in secularibus, nec in Regularibus, quin nec unquam habuisse, nec habere, nec illis suffragari potuisse, nec posse, ne quidem quoad forum internum, ut à reservatis absolvi possint; sed standum in his dispositioni suorum Praelatorum; rursus definiunt

definiunt nil novi juris supra Tridentinum concessisse; & omnia privilegia revocata; & omnes tales confessiones irritas, & invalidas; & omnes oppositas interpretationes esse reprobatas, & damnatas: ergo certâ fide hæc omnia tuenda sunt. Vid. P. Card. disp. 2. a n. 188. P. Moyam tom. 1. tr. 3. d. 8. qu. 8. a n. 24. P. Nogueir. d. 20. scilicet. 4. P. Bardi 1. p. pag. 52. Felicem n. 3446. P. Mend. d. 20.

Nil porro est, quod miretur M. Hozes à me relatus disp. 22. n. 180. & Andreas à Matre Dei, ille Carmelita Calceatus, hic Discalceatus, uterque doctus; quod nostri Doctores, P. Moya, P. Mendo, P. Bardi, P. Nogueira, & alij, omnes uno ore, & calamo testentur, quod opinio asserens, Cruciatam favore Regularibus quoad absolutionem, sit certò improbabilis, falsa, temeraria, scandalosa, & maiori censurâ digna; etenim, si Decreta considerentur, non aliter dici potest, salvâ Pontificum definitione.

SECTIO IV.

Aliqua confessiones ex absolutionis nullitate invalidæ.

§. I.

Refero aliquas.

SUMMARIUM.

Judicij Pontificij supereminetia in Tridentini intelligentiâ, n. 80.

Adversariorum Interpretum fundamentum prorsus nullum, ibid.

Moderni Confessores debent longè plura scire, n. 81.

Refero plures confessiones ex nullitate absolutionis invalidas, n. 82.

Invalide absolvit approbatus à Dicesano antecedenti, resistente Episcopo sequenti, n. 83.

Legis verba à sine legis distinguenda, ibid.

P. Suar. ait, quod mens legis cognita, sit verbis legis preferenda, ibid.

Pontificum finis, n. 84.

Qui errare in hac materiâ non vult, sequatur opiniones juri Episcoporum faventes, n. 85.

Exemptio à Confessariis prætensa absolvendi sine Episcoporum, aut Prelatorum Regularium approbatione, ruina saculi, & claustrij, ibid.

Harmonia Ecclesiasticæ Hierarchiæ in subordinatione consistit, n. 86.

Expono, ibid.

Quid Romanus Pontifex, quid Ecclesia Romana? Ibid.

Pontificis definitiones sunt sonus in omnem terram, ibid.

Pontificia infallibilitas nulli est Generali Concilio

convenit, ibid.
Nil prodest, quod Confessor sit approbatus ab alio, n. 87.
Est temerarium asserere satis approbatum a Dicesano anteriori, n. 88.
DD. mecum sentientes, n. 89.

Dixi, quòd si Tridentini mens fuisset N. Theologis æquè nota, ac fuit Pontificis Successoribus, qui clariores Spiritus luce illuminati uno ore clamant, suas Bullas Tridentino inhære, ita ut opiniones, quas aliqui expressis verbis damnant, ab ipso prius Tridentino prædampnatæ intelligi debeant, nec ulla Theologis data fuisset aia, laxa interpretationibus Tridentini mentem eludendi, nec ullum datum fuisset motum Pontificibus, repetitis centuriis, & novis Decretis damnatas aliquas de novo toto conatu exterminandi. Pavidum sane fundamentum, ex eo quòd Tridentinum dicit, nullum sive sæcularem sive Regularem absolvere posse nisi sit per examen approbatus, inferre quòd uno in loco approbatus possit ubique absolvere; sive ex privilegio concessis Regularibus, sive ex vi Cruciatæ requirantis unicè approbationem Episcopi. En fermentum, quod ingentem opinionum massam corrumpit; & quidem tam efficaciter, ut teste Urban. VIII. Clem. X. Innoc. XII. absolutiones sub dictis opinionibus date sint prorsus irritæ, inanes, & invalidæ; quare si pietate, & doctrinâ florere semper debuit Confessor; hodie abs dubio, post evulgatâ præcipuè Clem. X. & Innoc. XII. Decretâ, longè maiori, Confessores moderni, sapientiâ opus habent, ne invalide absolvant, ob tot damnatas opiniones ad absolutionem spectantes, & ingentes censuras illis addictas. Nulli ergo quantumvis celebri doctrinâ, & sanctitate Theologo, si aliquas, ut frequentissimè occurrit in eorum lectione in tract. de Pœnitentiâ, de Cruciatâ, de Regularium privilegijs, sustineat ex subinde damnatis, stari in hac materiâ poterit sine periculo invalide absolutionis. Prodeat modo in lucem Confessor, Latini idiomatis penitus ignarus, & confascinato unius Summule vulgaris farcimine gloriosus. Audiat confessiones: quid non absolvet, et si sit incus damnatarum contra Tridentini interpretationem? quem non absolvet hic, & ubique, et si limitatè quoad personas, tempus, locum approbatus sit? cum tamen non nisi ad exactam approbationis trutinam, juxta Tridentini mentem à Pontificibus expolitam, absolvendi facultas à Dicesano, aut Prelato Regulari concessa sit.